...es

Juventutis Scholae Novodv. Poetic: Les
festis D. Marci Evangelistae.

LEO FORTIS
D. MARCI
EVANGELISTÆ,
Principis Patroni Venetiarum
Tutaturus accurrit

MAGNÆ EXPECTATIONIS IN IVVENTVTE NOMEN

Jllustrißimi Domini,

D. MARCI SOBIESKI,
PALATINIDAE BELZEN:
Iauorouiensis, &c. &c. Capitanei.
Stud: Almæ Acad: Crac.

Cui Honoris & Amoris ergo Die S. MARCI EVANGEL.

GENEROSA IÚVENTVS SCHOLÆ NOVOD: POESEOS. LEONIS FORTIS EPIGRAPHEN APPONIT,

PAX TIBI MARCE.

CRAC. Typ: Valeriani Piatkowski, A. D. 1641.

In Heroicum Insigne
Vetustissimæ et Illustrissimæ Prosapiæ SOBIESCIORUM

Aut Hunc  Aut super Hunc

Dux vigil infractum, campo perlustrat aperto,
Mars clypeum, quo depulit hostis opem.
Prælia post, clypeum Spartani militis est laus,
Ad proprios saluâ, carne referre lares.
Videris Heroes, Generoso pectore dextras:
Sicubi: stare viden bellica signa virum?
Est munita Domus clypeo, Sobiescia firmo,
Fortior ut forti, milite miles eat.

Florianus Lupiński Stud: Poës.

PAX CONDIMENTVM VITÆ

Ode Tricol: Tetrastroph.

HERois almi magna domus, nouum
Ver in Polono climate suscitat,
Abstergit atras Sol tenebras,
Rideat vt rutilans Horizon.
Fouent vt axes Castora Pollucem:
Floremq; Fratrum Cracia mutuum,
Fragrantiorem post odorem
Rossiadum paret vt vireto.
Par dulce Fratrum liligero sato,
Amænioris vernat Apollinis
Cracouiensis flos Lycæi;
Per viridaria purpurascit.
Pæstana nec tam flore rosaria,
Fusim profectò luxuriant, neque
Tantum venustatis dat Hybla,
Læta rosis casiamq; spirans.
Nouella veris primula germinant
MARCI cerebro feruidiùs: grauem

Acuminosæ ſermo prudeńs
Indolis exuperat nitorem.
Gazis refertos Attalicis lares
Camæna mittit; Marte potentiam,
Proſapiæ ſat namq; priſca
Caſtalis vnda rigauit arua.
Deprælianteṁ Fama dat Hectorem
Seris relictum poſteritatibus,
Victura millenos per annos,
Enumerabit heros potentes.
En fama Princeps belligerantium!
Mauorte claro gloria quæritur,
Sagoq; ſparſo dulcè pacem
Cernere ſplendidius Togatam.
Tutantur armis Rem benè publicam,
Inter Senatum conſilij duces,
Prenſant vt hoſtis mente technas
Præſidium ſubit irretortum.
SOBIESCIORVM Sarmatico nitet
Trione pridem ſtirps generoſior,
Illuſtre nec non prædicatur
Nomen Hyperboreas per oras.
Scutum Paternus poſt Atauos vigor

Ad Filiorum depoſuit manus,
Fortes potenti maſculorum
Marte manus animans virentûm.
Non ille Lunas eſt Othomannicas
Miratus, immò Biſtonias prior
Fauces metebat, purpuratas
Sanguine plùs miniando dextras.
Vibrans decenter tela ferocia,
Profudit acri ſæuior impetu,
Heros cateruas dimicantûm,
Sanguineis equitans arenis.
Athleta bellax ſat furialibus
Intorſit auſis ſpicula cominùs,
Scuto retundens cuſpidatas,
Quas glomerant pharetræ ſagittas.
Facundię vim quam pater indidit
Fluente Marci voce, ſuperſtitem
Texit leporem, ceu paterno
Eloquio genius niteſcit.
Intaminatos diuitis ingenî
Captant honores, Martigenæ virum,
Facundiæ quem Suada tinxit
Pro Cicerone notant vocandum.

Prudente ſemper conſilio magis
Gradiuus audax pectora robor-at,
Nouit latentes perſpicaci
Quàm benè tollere mente fraudes.
Nec bellicoſus Mars ſine Pallade,
Partis decenter fulget honoribus:
Bellona victrix enſe, turget
Conſilijs vbi ſors peracta.
Sors pertinaci roboris augmine
Inauſpicato Marte potens ruit,
Imbellibus ſemper malignum
Exerit inſidioſa fatum.
Infauſta vitæ nubibus occulit
Portenta, Martis dum tegit impium,
Dulci furorem, ſpe refectans,
Mente fouet tacitâ chelydros.
Spinis acutos, ceu roſa pullulans,
Quos ſeruat ictus, floribus obtegit,
Sub melle virus, ſubq; pacis
Nomine bella latent in armis.
Mars inquietus quem facili bono
Vexat, ſedatur vix animus viri,

Quin gustet acrem Marte pastum,
Morte licèt luat vsq; Martem.
Non vrget ausu displicito furor,
Verùm benignus Cecropiæ fauor,
Artes sequacem liberales
Pro ratione sequi reposcit.
Submittit vltrò Ars innocuum caput,
Cuius perurit splendor Apollinis
Cor delicatè sedulum, nec
Vult titulos tribui superbos.
Contenta quas fert laudibus ars suis,
Encomiorum præterit obuias
Laudum sonoro semper auras,
Quas populus strepitu reportat.
Illimis vndat fons Academiæ,
Diuersiformes irrigat, herbidâ
Tellure flores, propter vsum
Sarmatici facilem Senatus.
Fluenta non hic fæda Borysthenis,
Nec limus exit Danubij putris,
Qui delicatis plùs per vndas
Floribus officeret nocentes.

Hic Optimatum pignora Principum
Nati Quiritum, ſeu locupletium
Ducum, reſplendent Ciuiumq;
Conſpicui Trabeâ puelli.
Vt caltha mundis, ſeu violæ roſis
Miſcentur, aptis viſibus orbitam
Nexę repręſentant coronæ,
Et varius color orbe ludit.
Cernes venuſtum fronte Donhoffium,
Simul diſertos ore Potocios,
Ad Matris Almæ ſtare uiſum
In gremio poſitos Palęſtræ.
Phænice ſplendet grata Sieniauio
Parens: quietis Działynys ſimul:
Gaudet Koniecpolſki tenello,
Humïecÿs; Lubomierſcioq;
Oſtrorogorum mente decentium
Felice: nec non pluribus exilit,
Quos ordo perfert vniuerſus
Stans Academia fronte lætâ.
Marcum, Ioannem, ceu duo lumina,
Sobieſcios fert, quos & amoribus

Se vni-

Se vinxit inter; ceu probatum
Consocians Pythiam Damocli:
Dilexit vti Scipio Lælium:
Furens Orestes vel Pyladem velut
Strinxit fauoris vinculo: seu
Thesea Pirithous sodalem.
Candore Marci pectus amabile,
Pulchrè serenâ castior æstuat
Integritatis fronte virtus,
Compositi radiantq; mores.
Accrescet æuo, spes Patriæ bona,
Breui; nec ætas defluet irrita
MARCI; cauet qui sæpè, ne flos
Marceat (ad clypeum) iuuentæ.

Vox Iuuentutis uniuersæ Scho: Pòëseos.

PAX TIBI MARCE.

I.

MArcus opem pietatis habet, pacisq; tenorem
Cui titulum præfert, PAX TIBI MARCE Leo.
Indolis egregiæ, spectatæ Tyro speiq;
Optimè SOBIESKI, nobile Nomen habes.
Aptauit Clypeo Te, Virtus dextrâ potenti,
Instituit comptè, Suada diserta loqui.

 Cor-

Corporis & dotes animi, prudentia perfert,
Et vigiles sensus, mens tua fronte gerit.
Grande penu cumulauit amor, virtutis honestæ,
Dignus es vt certè, semper ameris ab hac.
Tullius eloquio suberit, pietate Patronus,
Clarus ob hunc cælo, clarus erisq; solo.

Preborius Lanckoronski Castel: Wislic, Stud: Poës.

II.

VEnetijs Marcus regnat, cum laude Patronus
Gloria Romulidum, Marcus & vrbe fuit
Marcus vterque, tamen discrimine muneris impar,
Hic animam factis, format hic ore sonos
Laus animi prior est, doctæ carnisq; secunda,
Hinc potius primo, præstat habere loco.
Iudicio comprende tuo, Generose valorem,
Quo valeas rectam, tutus inire viam.
Sit pietas animæ, veniet facundia linguæ,
Marcus vt author erit, fautor & alter erit.

Pacoslaus Lanckoronski, Castel: Wislic. Stud: Poës.

III.

ETthnica præsidio, structorum templa leonum,
Pace, simul bello, tuta stetére diu.
Astrigero templum, virtutis Tyro dicauit,
Huic merito tutor, subsidet ergo Leo.

Aspi-

Aspida sperne, teras basiliscum, vince draconem,
Est Leo defensor, vincere Marce velis.
Mundus vt aspis, auet carnis Basiliscus obesse,
Concidit at stygius, stante Leone Draco.

Ioannes Werda Succamerarid: Pomer, Stud. Poës.

IV.

ADria custodem, dignatur honore Leonem,
Venetias quod enim, Marce Leone tegas.
Non semel extimuit rugitum Thracia fortem,
Liquerit æquoreas vt Solimannus aquas.
Hanc Vrbem præter, Marcum maris adstite firma
Marce: maris teneri moris & esto pater.

Gabriel Brzechffa Succam: Wenden. Stud: Poës.

V.

EST Leo trux, clypeus fortis, Marcusq; beatus,
Marcus adest prudens, sede Quirine tuâ
Defore præsidium, nusquam tibi Marce timeto
Diuus, & eloquium, Mars, Leo, namq; tegunt.

Nicolaus de zmigrod Stadnicki Stud; Poës.

VI.

Ingenij, morum, vitæ, probitatis, honoris,
Malleus hac operans incude, Marcus erit.

Alexander Pisarski Stud: Poës.

VII.

Non tot signa micant, tacente cælo,
Non tot culta ferunt Lybissa spicas,
Non tot spicula Parthicis pharetris,
Non tot Chrysolitis rubent coronæ,
Non tot Margine subnitensq; conchæ,
Non tot flore probantur & colores,

Quot morum nitidi videntur actus,
Quot Tyrone sedentq; suauitates,
Quot vitæ placidæ micant honores
Quot Marci rutilantq; dignitates,
Quot præ pectore sunt pio decores.
Factis (digna fides) beatus astris
MARCO Marcus erit, refusa merces.

Martianus Mierzeiewski Stud: Poës.

EST BENE NATVS QVI IN SPEM PATRIÆ NATVS.

LEchiacæ nido, Tyro generate Coronæ,
Ex aquilæ pullis, fortior ales eris.
Strenua peruoluas, aquilæ cum viribus acta,
Quam merito Magni, Regis habeto vice,
Hancce uerentur aues, Phæbum prope spectat ocellis,
Fulmina nec metuit, fida ministra Iouis,
Plectit aues rostro, curuo rapit vngue rebelles,
Lumine scit curas, anticipare graues.
Indue vel Metamorphoseos, pro posse figuram
Sic referes aquilam, lumine, voce, manu,
Iudex voce, manu miles, sis lumine præses,
Turcica Luna ruet, dum Scytha fiet epops.

Stanislaus Linczowski Stud: Poës.

FORTIS NIL METVIT.

SOns auis est raptu testudinis, Æschyle nosti?
Tum Scythicus quæro, scorpius ecquid aget?
Impauidus Geticum, spernet Sobiescius halay,
Scorpio cum signis, dum ruet hoste ferox.
Titanem radijs, aquilæ speculantur opertum,
Occidet ad pennam, Thracia Luna statim.
Fulmina cum volucri, metuet flammantia nunquam,
Lumina dum fundent flumina salsa, DEO.

Steph: Mierzeiewski Stud: Poës.